



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasciculus Myrrhæ Dilectus Jesus Crucifixus, Per  
Exhortationes & Meditationes de amarâ Salvatoris  
passione ac morte evolutus seu explicitus ... Das ist:  
Ermahn- und Betrachtungen vom bitteren Leyden ...**

**Nagel, Bernhard Dietherich**

**[Münster], [1742]**

Parænesis Ad Admodùm Reverendos Dominos Pastores, cœteros DD.  
Curatos, uti & Confratres bonæ voluntatis, denique ad amicos Lectores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51950)

# PARÆNESIS

Ad

*Admodum Reverendos Dominos Pastores, cæteros DD. Curatos, uti  
& Confratres bonæ voluntatis, denique ad amicos Lectores.*

**O**ffero vobis Reverendi ac Doctissimi Domini. Confratres dilectissimi, Lectores amicissimi, Fasciculum hunc Myrrhæ parvum quidem pondere Elegantiarum Rhetoricarum, sublimiùmq; conceptum, rudi ac simplici stylo & germanismo compositum & elaboratum, verùm iis qui per Quadragesimam aut allis de Passione Dñi diebus ad populum in Ecclesiis dicere, aut ipsimet de amarissima Servatoris nostri morte ac varietate cruciatuum ejus, quos uti & peccata nostra pertulit in corpore suo (angustiarum in anima) super lignum, meditari amant, in utilitatem adaptatum & concinnatum.

Mea rudis Minerva non permisisset hunc Fasciculum in lucem prodire, nisi duabus de causis hanc sibi vendicasset audaciam. Prima est, ut aliquale instrumentum essem promovendæ devotionis in sacratissima Passionis Christi mysteria: nescio namque an melior hæc aut excelsior devotio & exercitatio in tota Christianitate reperiri possit: si enim Bernardos, Franciscos, Philippos Benitos, Carolos Borromæos, Birgittas, Claras de Assisio, de monte Falcone, Mechtildes, Gertrudes, Lydwinas, in numeros Sanctos & Sanctas interrogaremus, unde & quo potissimùm ex fonte Sanctissimæ vitæ suæ exordia hauserint, progressus fecerint, perfectionis stadia & studia beatâ morte compleverint, quid aliud respondendum expectabimus, quàm è scaturigine devotissimæ venerationis, contemplationis sanctissimæ Passionis, cruciatuum & ærumnarum Jesu CHRISTI Domini nostri? Altera est, quod Confraternitatem agonizæ Domini magis magisque promovendam in pluribus hujus Patriæ Parochiis velut arborem vitæ, ut pote, quæ dulcissimos fructus tam defunctis, qui piacularibus in flammis esuriunt & sitiunt, quàm vivis in viâ ad æternitatem anhelò cursu sese fatigantibus producit, plantandam non solus ego, sed complures alii Sacerdotes huic functioni assueti mirum in modum & extentis, quod ajunt, brachiis peroptemus.

Erunt è Curionibus patriæque curatis nonnulli, qui ut ut laudabili in Confraternitatem, cætùmque menstruum amore affectùque feruntur, omittunt tamen suis in Ecclesiis eam habere, quod certis quibusdam redivisibus Confraternitatem præviè videre percipiant fundatam, quò præmissò eam incepturi extemplò. Quibus in summâ modestiâ & secundùm Deum respondeo non nisi ea quæ comperta mihi sunt, nimirum ultra 15. annos huic devotioni Dominicâ ejuslibet mensis primâ me sedulò in Ecclesiâ mihi indigno concreditâ ad horam 2dam pomeridianam invigilasse & insudasse, antequam vel obolum ejusmodi didactri, quò exter-

nos

nos labores plerique solamur, vel cominùs vel eminùs viderem. Subinde (nec distiteor movente aut monente Numine id accidisse existimans) Illustrissima atque inter Matronas cùm devotione in Deum, tum largitionibus in sinus pauperum profusis oppidò præstans & haud ultima, ni prima Domina, quæ & Dorcas ab egenis hujatibus appellari posset, prima Fundatrix effecta est. Primus itaque lapis foundationis politus est anno ab hinc octavo. Quis scit Adm Rdi ac dilectissimi Domini Confratres, si vobis in eandem mecum navim descendere alluberet, ac per tempus sine mercede magnâ contentione remis incumbere an non per similem in carbala vestra Favonium advolantem persentisceretis? Novit is, qui ex lapidibus Filios Abrahæ creare potest. novit inquam Dominus, qui gerit corda hominum in manu suâ, ita emollire suorum pectora, ita præparare corda, ut de quo heri nondum cogitârunt, id hodie tam firmo statuunt proposito intra tempus breve perficiendi, nullâ ut remorâ sese præpediri patiantur. Sed esto, hæc non fiunt, nullus Favonius aspiret, numquid ultimâ in luctâ, quando cereus in manum datur, proficiscere anima Christiana inelamatur, liber scriptus apportatur, peroptaremus sciscitanti judici: quam mercedem vis aut voluisti? respondere cum S. Thoma Doctore Angelico; non aliam Domine nisi teipsum? nonne dentam liberatarum à te ex igne purgante animarum circa trementem animam tuam, dum emigrat, catervam, Bone Curator animarum, tibi exoptares, quæ causam tuam coram Tribunali divino agant, & pro te loquantur verbum in bonum? atqui ut hoc certiùs & feliciùs impetretur, erecta est Anno 1650. ad impetrationem piissimæ memoriæ Eleonoræ Romanorum Imperatricis Sodalitas nostra agoniz Domini. Institutio ejus hos habet fines primarios, nempe: ut uberius in mentibus nostris vigeat recordatio passionis Domini: ut impetretur felix mortis hora: ut per unanimes preces Fratrum ac Sororum juventur animæ purgantes. Ecce incitamenta ad meam lucubrationem & vestræ ô Domini Confratres & amici Lectores sequelæ humillimam postulationem. Finio cum commendatione mei ad aram, & cum energetico illo Sancti Augustini de verb. Dom. Ser. 24. Vivite bene, ne malè moriamini. Herberen ex Musæo 1. Aug 1741.

*Author Fasciculi.*